

Epistola Patris Armand de la Richardie ad R. P.  
Franciscum Retz, Præpositum Gene-  
ralem Societatis Jesu, Romæ.

NE unum quidem adveniens reperi barbarorum, christianam fidem profitentem, quamvis ex senioribus aliqui olim morbo laborantes à primis missionariis fuissent sacro fonte expiati. Quadraginta propè abhinc annis gentem corde incircuncisam, pulverem pedum excutientes, desererant. Unus inter primores gentis, Hooisens nomine, post multas temporis moras christianam fidem professus cognationi universæ ita fuit exemplo ut ex ipsius totâ parentelâ ne unus quidem spiritui S<sup>to</sup>. restiterit. Brevissimo temporis intervallo, illo è vivis sublato, vix levissima spes remanebat barbarorum vulgus ad christi dulcissimam servitutem deducendi: quippe qui immemor altitudinis scientiæ Dei profectionem prope paraverim, existimans mortuo viro principe, rei X<sup>næ</sup> indefesso tutore, mortuam quoque spem gloriæ Dei promovendæ. Dum sic incertus ac tædiò confectus vagaret animus, apparuit benignitas Salvatoris, in eo quod barbari utriusque sexûs et ætatis, me inspirante et re pluries frustrâ tentatâ ad doctrinæ X<sup>næ</sup> expositionem et ad publicas in compitis habitas conciones festivi properarent. Gratiâ Dei promo-